

ANTIQUAE CIVITATIS

muniendæ ratio.

Verum si quando ciuitas offeretur, quæ tametsi eleganter exedificata sit, habeatq; turres ex lapidibus decenter constructas, & fossis denique aliisq; munitionibus cingatur non contemnendis, tamen huius tempestatis bombardis, bellicisq; id genus artibus ferendis, minimè sufficiat: hanc sanè non statim demoliri, & diruere conabimur, sed huiusmodi præsidio, contra præsentis bellorum iniurias confirmabimus.

Primò vniuersam ciuitatis fossam, aut qua ciuitas potissimum opus communitione habet, alia fossa circuibimus, quæ ab urbana ad septingentos pedes distans, altitudine octoginta, latitudine ad fundum centum quinquaginta pedum ducatur: siquidem id loci situsque ratio permiserit. Ac qui quid terræ ex defossione egeritur, secundum fossam ad ciuitatem in aggerem coaceruabitur. Deinde ex fossæ alueo murus attolletur, ad sui radicem viginti, sursum versus tredecim pedes crassus, qui introrsum quidem lineamento ad perpendicularum excitato, extrinsecus lineamento obliquo paulatim in aggerem recumbat. Ad hanc rem lapides quoq; in exteriori muri latere ita coaptandi sunt, ut in quadratis angulorum positus ad propensionem quandam reclinet. Hoc enim situ muro tantum roboris conciliaueris, ut superurgens terrestre onus obstinatè validèque sustineat. Muri huius altitudinem definiet supremum fossæ, cui incumbit, labrum. Porro aggeris coaceruandi hic modus erit, ut terra è fossa exempta inde à muro crasso versus urbanam fossam ad quadringentos vsque pedes condensatus, in sui medio, à reliquo solo in quinquaginta pedes excitetur. Deinde pavementum aggeris æditius, ad centum quinquaginta circiter pedes versus fossam urbanam expansum, ad libellam æquabitur, quod murulo, qualis thoraci tutando solet astrui, subinde coercebitur, in quatuor pedes excitato. Ab hoc murali pariete terra redundans, in depressam planiciem quæ centum pedum ad urbanam fossam relicta est, deuoluitur. Neque agger post thoracem, qua ciuitatem spectat, muro confirmandus est. Cæterum planities pro urbana fossa centum pedum laxitatè possidebit. Hoc enim modo effeceris, ut ante finitè septingentorum pedum longitudinis portiones singulæ iustà sibiq; competentè modum æsequantur. Deinde à suprema muri crassioris ex fossæ alueo confurgentis margine, funiculus ducentorum pedum, in medium aggeris pavementum producet, qui modum præfiniet soli à fronte circumquaque ad libellam coæquandi. Porro huic deinde superficiei, seu aggeri cõplanato ad frontem crusta inducetur ex saxis quadratis, affabrè commissis, & secundum iuncturas compactis diligentius, ut sui positu angulosum situm exprimentes, appellatione missilia validè confutent. Atque hæc crusta vel ex simplici vel duplici constabit quadrato, quò iaculorum, ut plurimum hæc impetentium iniurias perferant constantius. Verum si quando lapis (id quod rarius acciderit) ad iaculi impetum subsequutus abripiatur, in facili erit statim alium in eius locum sufficere. Denique hæc profronte aggeris incrustatio, præ reliquo pavemento ut summum pedibus quatuor præ-